510941C

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PARTUS MECHANISMO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI

FRIDERICI GUILIELMI PESTEL,
J. U. D. ET JURIS PUBLICI AC PRIVATI
PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè, ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubmittit

CHRISTIANUS MATHIAS THODE,
BERGEDORFIENSIS.

Ad diem XXX. *Junii* CIƆIƆCCLXXVII. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD P. VAN DER EYK ET D. VYGH, 1777.

335769

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PARTUS MECHANISMO.

Partus, quemadmodum olim fuit, ſic & hodie res Medici attentione quam maxime digna eſt habita; & ſane merito Naturæ curioſi multam navarunt operam, ut mechanismum vel modum & rationem, qua Natura magnum hoc opus perficiat, perſpicerent & explicarent. Multi hoc contenti erant ut dicerent, inter Natu-

ræ myſteria referendam eſſe rem, & non niſi admirandam. Alii, qui putarunt eam poſſe enucleari, non aliam tamen quam ab experientia nuda ac ſola petitam interpretationem dederunt, quæ propter ignorantiam veræ ſtructuræ corporis non potuit manca non eſſe, neque hypotheſibus atque opinionibus male fundatis vacare.

Aucta paulatim per Anatomiæ culturam cognitione partium non multum feliciores erant Interpretes noſtri, quippe qui inventis novis ſic modo utebantur, ut veterum perperam aſſumtas hypotheſes diruerent, & protinus in earum locum nova commenta ſurrogarent.

Fuerunt tandem, qui, ſe rem acu tetigiſſe arbitrati, ex contrahendi viribus utero inſitis, & diaphragmatis actione, muſculorumque abdominalium & aliorum ad reſpirationem facientium organorum concurſu, petebant phænomeni rationem. Sed & hæc doctrina brevi difficultates offendit: nempe caput fœtus & pelvim pares & ſibi congruas habere dimenſiones aſſumebant; ſed viderunt oculatiores, majores pelvis diametros ſibi non reſpondere, ſed ſuperiorem ab inferiore decuſſari. Deberet igitur caput, propter hanc pelvis ſtructuram, in itinere prorſus inverti, ut melius prodiret: atque hoc juxta datam explicationem intellectu valde difficile erat. Inquiſiverunt, ut hoc obſtaculum

au-

auferrent, diligentius in ſtructuram pelvis oſſeam, ejusque aliquam cum plano inclinato ſimilitudinem eſſe viderunt. Ex qua comparatione mechanica illam difficultatem tolli ſibi perſuaſerunt.

Et ſane magna vis eſt atque commoditas plani inclinati, nec tamen tanta, ut difficultates omnes removeat. Etſi enim verum ſit, caput fœtus in pelvim hac figura prædītam intrare, ſic ut diameter unius dimenſionis alteri reſpondeat; & ſi demus, in omni pelvi planum tale inclinatum a Natura ſtratum percipi & reperiri; ſi & concedamus, fœtus vi matricis deorſum propulſi caput, phyſica neceſſitate ad inclinatum planum ſe accommodare debere: tamen omnibus ſic peractis iſta capitis contorſio ita fit, ut unus humerus reſpiciat os ſacrum, alter oſſa pubis. Qua ratione hanc difficultatem expedire valent fautores plani inclinati? Sæpe enim videmus, caput ab oſſe ſacro ſub oſſibus pubis ſubire contorſionem, & impediri quo minus in pelvim deſcendat.

Quæ ratio eſt, quare, non tantum in primiparis, ſed & non nunquam prægreſſis felicibus & expeditis puerperiis, quum inter initia omnia bene procedunt, idem obſtetricans adſiſtit, nec hic inter præſentem partum & antecedentes ullam differentiam offendit, caputque cum aquis naturæ convenienter apparet; quare, inquam, ſub doloribus ve-

ris, adfulgente proxime futuri partus ſpe, caput fœtus oblique ad marginem ſuperiorem pelvis hæreat, nec ultra moveatur, ſicque parturientibus ſummum periculum importet? Quæ hujus phænomeni cauſa, præſertim cum haud raro ſequentes partus nullam hujuſmodi difficultatem exhibeant, & pelvis tamen eadem maneat?

Qua ratione fit, ut fœtus, qui non tantum tempore graviditatis, ſed & inſtante partu, dorſum in latere dextro matris incumbens habet, doloribus ſubortis veris manifeſte & quaſi ſubito vertatur, ſic ut nunc dorſo reſpiciat anteriorem abdominis partem?

Qua ratione fit, ut ſæpe in partu lento, ſed naturali, dolores matri vix tolerabiles, ſatis aperto uteri orificio, fœtum tamen non expellant, caput vero ſub cruciatibus his & nixibus quaſi in circulum rotetur, & ceſſante nixu redeat in priſtinum ſitum? forte hæc ex ſpontaneo fœtus motu explicanda ſunt. Sed hic motus an ſufficiens eſt? vidi ſane phænomenon, & opem attuli duabus parturientibus in tali diſcrimine poſitis, utraque poſt multos cruciatus periculo evaſit.

Qua porro ratione fit, ut in partu celeri, in quo ſubinde ſecundinæ ſimul cum fœtu excluduntur, uterus ſupra vaginam manifeſte & violente quaſi ſuper axin rotatur, &

qui-

quidem deſcendendo, & a dextro ad ſiniſtrum latus, quod ſæpe expertus ſum?

Qua ratione denique fit, ut caput abruptum, & in vagina ſupra marginem pelvis ſuperiorem hærens, (non in utero, nam is jam contractus & retractus inventus erat,) interdum adhibitis fruſtra auxiliis ſponte & magna vi expellatur? Advocatus ad miſeram parturientem, vidi talem caſum: ante me jam multum laboris impenſum erat in removendo capite ex vagina; inveni caput ſupra pelvim locatum, ſed ipſo temporis momento, quo ad opem præſtandam eram paratus, caput citra omnem exſpectationem impetu & cum ſono extruſum eſt.

Hæc, quæ non ſemel viſa & facta ſunt, hæc, inquam, ſi accuratius perpendamus, fateri omnino debemus, vim aliquam eſſe hucusque nondum determinatam, quæ ad partum promovendum concurrit: ſaltem tale quid experientia ut credamus ſuadet. Neque ſane perſpicio cauſam, quare vagina uteri non poſſet aliquam opem præſtare in perficiendo partu, & quare pars organi generationis adeo inſignis ac vagina eſt, ab hoc officio excludenda ſit? Scimus enim Anatomiam edocti, fibras muſculoſas gaudere vi & facultate motrici; his fibris inſtructa eſt vagina uteri, ejusque hinc pendentem movendi vim declarant quoque mor-

bi & alia vitæ ſtadia abunde; immo motum ejus inſignem obſtetricans in ipſo illo, quod ſexui ſequiori impoſitum eſt duro munere, partu ſcilicet, experitur: ut poſtea videbimus in caſu dicendo.

Quid ergo obſtat, quo minus talem motum vermiculari ſimilem in vagina fieri aſſumamus? ſic ſane ſuppletur, quod deficit in hypotheſi de plano inclinato tanquam præcipuo & vel ſolo partus adminiculo, cujus tamen uſum in caſibus, ubi exiſtit, denegare minime velim. Quum autem ſolum memoratas ante difficultates non ſolvat, & ſæpe propter deformationem pelvis nequidem adſit, quando tota pelvis ſubinde deſigurata & ſic recurvata eſt, ut ſacrum os cum dorſo rectum angulum formet; cum etiam aliquando ſpina, protuberantia oſſium iſchii & os ſacrum ad interiora recurvata cernantur, ita ut nullam cum plano inclinato habeat ſimilitudinem, ſed tuberibus & eminentiis aſpera ſit, quemadmodum nos Anatomica cadaverum inſpectio hoc docet; quum præterea dimenſiones ſolitæ ſæpe deficiant & tamen partus feliciter perficiatur; an non recta ratione concluditur, planum inclinatum non eſſe principale partus inſtrumentum, ſed ſolummodo, ſi adſit, aliquam commoditatem adferre? at vero motum vaginæ vim maximam habere, caput fœtus in pelvim protrudere, quin imo ſi opus ſit converſione,

pro-

propter deformationem pelvis, hanc quoque perficere, & tunc maxime, cum uterus in fœtum amplius agere nequeat, hunc expellere & in lucem mittere?

Hunc motum periſtaltico inteſtinorum motui aliquo modo ſimilem, qui a dextra ad ſiniſtram dirigitur, contigit mihi forte fortuna quidem prima vice ſic percipere: erat fœmina, quæ jam bis levi labore pepererat, nunc tertia vice per integros tres dies, cruciatibus & doloribus quidem veris ſed nihil efficientibus, vexata; nullum erat ſignum apparentis aut parati ad exitum fœtus; quieſcebant dolores cum accederem, & jam per triginta horas nullos adfuiſſe fatebantur. Viribus miſera pene exhauſta erat, caput oblique poſitum, ſic ut occiput ſuperiorem marginem ſymphyſis pubis occuparet, & facies os ſacrum reſpiceret, ibique defixum hæreret immobile, & forcipis applicationem poſcens. Primam hujus lamellam ſiniſtræ parti bene applicatam digitis ſuſtinui, dum alteram ſimiliter applicabam; ſed valdopere mirabar, dum laminas forcipis admovere ad ſe invicem tentabam, quod ſubortis interea per forcipis irritamenta forte doloribus, prior ſiniſtro lateri applicata lamella non amplius fœtus caput tangeret, ſed loco mota in inferiori & poſteriori pelvis parte hæreret. Erat hæc res inexſpectata, nam certus ſciebam, bene me

ap-

applicuiſſe & digitis ſuſtinuiſſe laminam hanc. Nunquam hoc mihi antea videre contigerat: interdum quidem aliquantulum ex ſitu remotam obſervavi forcipem, quod autem non diligenter factæ ope digitorum preſſioni adſcripſi: in noſtro vero caſu nulla hujus rei ſuſpicio fuerat, quoniam omni cum diligentia & cura forcipem applicueram. Hanc igitur denuo admovi, & omni, quam potui adhibere, cum cautela, & laminis non clauſis exſpectavi dolores, qui & paulo poſt apparuerunt; ſimiliter novis doloribus obortis, idem phænomenon miratus ſum, & percepi accurate, quod eadem lamina e ſitu ſuo remota, motu quaſi rotatorio ad inferiorem & poſteriorem pelvis partem deferretur, quum alterius laminæ vix motum perceperim, niſi quod ad os pubis paululum comprimeretur. Removi forcipem & digitis immiſſis, de facti veritate certior ut evaderem; rem examinavi, percepi, ut jam ſupra innui, & ut mihi obſtetricans affirmabat, os uteri retractum, vaginam rugis præditam, quæ a contractione & accurtatione vaginæ ortæ videntur, & quas lubricas partim inter digitos meos & caput fœtus deprehendi, partim ſupra tangentes digitos a dextro ad ſiniſtrum euntes; quo motu digiti mei a capite remoti, in fundum pelvis inperceptibili modo ducebantur. Hoc in una parte obſervabam, in altera nullam

[di-

dimotionem, ſed tamen digiti aliquam ad oſſa compreſſionem percipiebant. Pluries repetii experimentum, ſemper cum eodem ſucceſſu, non ſemper tamen cum æquali vi, digitusque ad anteriora ſæpe repulſus forte propter ſpatium ſenſim anguſtatum; interea animadverti caput fœtus paulatim cum dolore vero promotum. Hæc obſervatio movebat me, ut rem totam naturæ relinquerem, & paulo poſt fœmina tandem enixa eſt feliciter fœtum ſed non amplius viventem, cujus capiti cærulefcentes & nigricantes maculæ erant impreſſæ. Dubium non eſt, quin applicatione forcipis præter exſpectationem impedimenta ablata fuerint, caput liberatum, dolores excitati & reſtituta uteri & vaginæ energia, horumque organorum contractione partus tandem feliciter peractus. Hunc vaginæ motum poſtea ſæpius vidi in aliis caſibus.

Quæ cum ita ſint, credo manifeſte patere.

1°. Quod multa partus phænomena vix explicari poſſint, niſi in auxilium advocetur vis quadam vaginæ concurrens,

2°. Quod neque Anatomia, nec experientia, hanc, quam vaginæ tribuo, movendi & agendi facultatem refellant, quin potius confirment.

Atque nunc meum eſſe puto, licet propter temporis penuriam non ſatis pro rei dignitate poſſim, ut ſaltem pau-

cis exponam, quid vagina ad partum promovendum confe- rat, in quo conſiſtat iſte Mechanismus, & quænam inde fluant conſideratione digna corollaria: quod ut rite fiat, præmittenda ſunt aliquot lemmata, quæ ſenſu communi fundata vix probatione egent. Aſſumo

1°. Vaginam & uterum efficere unicum continuum canalem ſive ſaccum membranaceum; hunc vero reduplicatum eo ipſo duas cavitates formare, quæ plus minus fibris muſculoſis ſive motricibus prœditæ ſint. Utrumque ſane Anatomia corroborat, quæ docet, vaginam fibris vario modo decurrentibus gaudere; ſectione cadaverum ſub partu emortuorum cernitur plica, quæ collum & orificium uteri format extenſa, ita, ut vagina cum utero unam cavitatem efficiat, & nulla indicia duplicis cavi, quod antea a plica formabatur, exhibeat. Neque controverſa erit ſententia, ſi œſophagum, ventriculum & inteſtina tanquam unum continuum canalem conſideramus: ſimiliter & uterus cum vagina talem continuam format viam. Neque tamen multum contra nos facit, & ſi quis hanc ſententiam amplecti recuſat: aut malit contendere, uterum & vaginam eſſe partes diſtinctas & vita propria donatas; nam hoc ſemper verum manet, eas inter ſe ita conjunctas eſſe, ut neutra ſine altera officium ſuum præſtare queat;

2°. Ute-

2°. Uterum & vaginam graviditatis tempore eſſe præter naturam extenſos, & illum quidem in tota ſua circumferentia, hanc vero in longitudine tantum; extenſas autem has partes ex communi lege in ſitum priſtinum naturalem niti & tendere.

Hæc vera ſunt, & omnibus niſi phyſiologici ſtudii ignaris nota.

3°. Doloris ad partus cauſam in contrahendi niſu harum partium præcipue conſiſtere. De veritate hujus rei, ratione uteri nullum dubium eſt; neque de Vagina, ſi modo ſtructuram talem ei tribuimus, qualem aſſumſimus, difficultas erit; præter hæc ulterius dolor inguinis & partium genitalium rem evincunt.

His ſtabilitis, quod ſcilcet uterus & vagina præter naturaliter extenſi ſint, quodutraque pars vi contractili gaudeat, ſequitur utrique facultatem contrahendi competere. Hæc facultas actionem exſerit ſuam, ſtatim ac vis extenſiva harum partium ceſſat, vel debilitatur, vel quod perinde eſt, quando ſtimulo ita aucta eſt vis hæc, ut ſuperare omnes difficultates poſſet.

Uterus igitur certo tempore incipit ſe contrahere ex omni parte, nam extenſus in tota ſua circumferentia eſt! Veram hujus phænomeni rationem me ignorare fateor,

nec audeo aliquid determinare. Per ligamenta ſua inferiora, nectitur cervix uteri cum ſuperiori parte oſſis ſacri & prima dorſi vertebra; ligamenta hæc duplicatura ſunt peritonei, quæ a poſteriore parte cervicis uteri & vaginæ oriuntur, & decurrunt infra marginem ſuperiorem pelvis, ad partem ſupremam oſſis ſacri ubi deſinunt. Hoc, & nexus cum vagina, uteri punctum fixum eſt, eo tendunt præcipue vires ejus contrahentes, [& ad hunc locum fœtus cum aquis pellitur & premitur, collum itaque uteri per extenſionem graviditatis tempore debilitatur, omnium minime reſiſtit, extenditur magis, & finis ejus orificium nempe uteri aperitur; & huc conferunt multum ſequentia. Hæc ſcilicet de Utero; nunc ad Vaginam conſiderandam progredior.

Vagina graviditate præter naturam extenſa eſt, ſed ut jam dixi in longitudinem magis, nunc ad eamdem normam ſe contrahere debet. Hac contractione fit, ut uterus deſcendendo neceſſario hanc ſequatur, ſed propter vincula, quibus nectitur, non poteſt perficere hunc deſcenſum, ergo plica iſta ſive reduplicatio, quæ collum & orificium uteri format, tanquam partes minus reſiſtentes, & cum uterus nexu ſuo & vagina in ſe invicem agunt, neceſſe eſt, ut plica iſta ſenſim paulatimque reſolvatur & exten-

tendatur. Hoc ſectio cadaverum in partu non peracto mortuorum probat. Hinc ſequela neceſſaria eſt dolor dorſi vehemens, qui vexat parturientes, nec prius quam extenſio iſta ceſſat.

Hæc uteri & vaginæ extenſio interim, ut fibris ad extenſionem tempus concedatur, continuatur eo usque, donec uterus & vagina unum canalem ſive tubum efficiat. Hoc momento provida Natura profſpexit, ut, ſi omnia recte procedunt, aquæ rumpantur, quibus ruptis actio uteri, dum reſiſtentia ceſſat, ſenſim debilitatur, & omnia in æquilibrum vel quietem ponuntur: nam ſi continuatur actio ejus, facile in convulſiones deſinit periculoſas.

Interim uterus renovat vires ſuas, caputque fœtus in eo loco nunc hæret; ubi reduplicatio antea erat vaginæ, vel intrat in vaginam, quæ antea ſenſim ab aquis dilatata, nunc vero hoc peregrino & duro corpore ſubito & vehementer extenditur magis & ſtimulatur. Omnia ſub hoc actu extenduntur, omnia ſumma ope irritantur, & omnia ad contractionem coguntur! ſic pars partem irritat ita, ut ſubinde tota corporis machina in motus concitetur. Et quis non mirabitur ſapientiam Creatoris? Nunc enim, ubi fœtus pervenit in difficillimum locum, vi inſigni opus eſt ut protrudatur citius, ne, quoniam in anguſto & pericu-

 loſo

loſo loco multum patitur, pereat, ut hoc non raro fieri experientia docet. Et præterea fibræ omnium partium magnopere extenſæ, ſine periculo non diu in eo ſtatu poſſent permanere, igitur poſcunt celerrimam relaxationem, quæ, ſi non fit brevi, febres, inflammationes & denique proh dolor! mortem inducit.

Uterus ita valde extenſus contrahere ſe incipit, præcipue autem recurtare. Hoc fieri probat

1°. Ruptura uteri, quæ ſemper transverſaliter contingit; vidi ſane rupturam duorum pollicum intervallo diſtantem a collo uteri.

2°. Subinde uterus & vagina a ſe invicem divelluntur.

Uteri ita extenſi punctum fixum augetur, fibræ ejus majus robur acquirunt.

Vagina uteri ſimiliter conatus ad contractionem facit, ſed cum utero nexa, per ligamenta uteri inferiora cum oſſe ſacro ligata, & parte infima ad os ſacrum, coccygis os, ad iſchium & pubem. Superior ejus pars primo irritatur extenditurque, ſed ſimul ligatur, & primus niſus contrahendi oritur hoc in loco; reliqua vaginae pars nondum nimis extenſa, nondum nimis irritata, neque nititur ſe contrahere, igitur reſiſtentiam minorem facit, ſed cedens ad fixum punctum movetur, donec & hæc pars extenditur,

irri-

irritatur & contrahitur: ſimulque fibræ ſuperiores vaginæ non ſatis contractæ, nullam vel ſaltem exiguam contrahendi vim amplius habent, ergo cedunt vi. Atque ſic alternante irritatione & actione, vagina alternatim vario modo contrahitur & movetur. Sic modo non facile dicendo, fibræ motrices vaginæ, varia pro varia pelvis ratione puncta fixa aſſumunt, & ad varias directiones magis minusve agiles fiunt.

Itaque uteri & vaginæ motu ſimili periſtaltico, actione diaphragmatis, muſculorumque abdominis fœtus propellitur, pro varia pelvis conformatione torquetur, & ſic in lucem mittitur.

Ex hac doctrina, ut videtur, multa utilia explicantur, derivantur.

Quando uterus citius & fortius quam par eſt contrahitur, dum vagina nullos edit motus, vel tarde vel debiliter agit, caput fœtus non pellitur in pelvim, ſed ſupra marginem ejus apparet.

Quando vero ſpiralis vaginæ motus vehemens eſt & uterus debilius agit, tunc caput vario modo rotatur. Et certe effecta ſub hac conditione peſſima ſæpius occurrerent, niſi benigna Natura ſibi relicta, & ad certas regulas & leges agens, perficeret opus; nam contractione & ſequenti ob-

ſta-

ſtaculo vis fibrarum, ſi non in totum ſaltem ex parte vel debilitatur vel aufertur; quum aliæ fibræ eadem hac contractione extenduntur, & vires auctas recipiunt, irritantur & majori vi agunt, quo fit, ut diverſæ directiones naſcantur, & obſtacula denique tollantur.

Ex noſtra de partus Mechanismo data interpretatione patet, perverſos & ſpasmodicos motus ſæpe fieri debere, prout partes huc vel illuc, plus vel minus ſtimulantur. Exemplo res melius patebit: fœmina debilis & valde ſenſibilis ex maxima parte graviditatis tempore valetudinaria, propter ſymtomata quædam periculoſa ſemper lectum tenebat. Sub initio partus omnia ſe bene habebant, augebantur ſenſim dolores, orificium uteri apperiebatur, aquæ auctis his conſpiciebantur, & uterus debite deſcendebat. Ego propter dolorum vehementiam inſtare partum ominabar, & prima nocte futurum, ſed obſtetricans muliercula ſub dolore explorans uteri ſtatum, negabat parturam eſſe ante auroram ſequentis diei, & forte ad ſextam demum vel ſeptimam horam, adeoque exſpectandum adhuc eſſe per octo ferme horas. Cum inſuper orificium uteri fere clauſum eſſet, & dolores in illud non agerent, conſilium dedi ut parturiens tranquillam ſe contineret, & obſtetrix interim ſomnum caperet. Poſt hujus diſceſſum, cum dolores animadverterem

per-

perſeverare & parturientis imbecillitatem augere, meum eſſe duxi, ut ipſe partes explorarem; quo facto inveni fœtum excluſioni propinquum & orificium uteri apertum, ſed hoc paulo poſt doloribus ſubortis claudebatur, & caput fœtus ſuperiora repetebat. Conjiciebam ſpasmodicum eſſe motum, & ex anomala organorum actione ſpurios dolores oriri, qua propter exhibui paucas laudani liquidi Sydenhami guttas, quarum beneficio brevi ceſſarunt motus hi convulſivi, & fœtus citiſſime ſe obtulit, ita ut obſtetrix ex vicino cubiculo vix potuerit ſatis cito accurrere, ut exciperet fœtum in auras prodeuntem.

En breviter expoſitam de Mechanismo partus ſententiam meam. Temporis & rerum mearum rationes non ſinunt me prolixiorem nunc eſſe, neve argumentum pro dignitate proſequi. Benevolum Lectorem rogo & obteſtor, ut homini latine ſcribere non aſſueto; ſi quæ minus apte dicta offendat, ignoſcere velit.

T H E S E S.

I.

Partes, quæ ſecundum Naturam nullam vel exiguam ſenſibilitatem habent, ſub inflammatione ſenſibiles fiunt.

I I.

Antehelmintica imprudenter adhibita, haud minus noceant quam vermes, contra quos propinantur.

I I I.

Receſſus oſſium pubis, qui in partu ſubinde fit, ad partum perficiendum nihil confert, & ſi adſit, præter naturam eſt.

I V.

Cauteria actualia & perforatio oſſium in carie ſæpius nocent quam proſunt; at lapis infernalis utiliter adhibetur.

V.

Fœtus per os non nutritur.

V I.

Fœtus cerebro & cerebello deſtitutus, poteſt in utero vivere & creſcere; extra uterum nequit.

V I I.

Homo aquis merſus & ultra ſextam horæ partem relictus, an revocari ad vitam poſſit, ego quidem vehementer dubito.

V I I I.

VIII.

Arteriæ vulneratæ & ex parte diſciſſæ interventu agarici debito modo adhibiti feliciter ſanantur.

IX.

Ipſi nervi, & valde quidem notabiles, penitus diſciſſi, ſponte coaleſcunt iterum & ſanantur, ſic ut redintegrati officio ſuo æque pares ſint ac ante læſionem erant.

X.

Anthrax ſive carbunculus videtur topica affectio partis, quam miasma a foris veniens ingreditur & præcipue rodit.

XI.

Ubi caput fœtus aperiri & deſtrui debet, vulgaris methodus lenta, operoſa & crudelis eſt; ſed facilis & expedita redditur, ſi oſſa baſin cranii conſtituentia diſſolvantur.

XII.

Medicamenta ex Antimonio parata debito tempore, ordine & modo adhibita, ingentem & pene divinam vim exerunt.

XIII.

Si medicamenta, præſertim chemica, uno ſemper eodemque modo pararentur, virtutes eorum veræ & propriæ melius certiusque definiri poſſent.

XIV.

X I V.

Hinc recentiorum pharmacopœarum formulæ a vetuſtis diverſæ plus nocere, quam prodeſſe progreſſui praxeos medicæ mihi videntur.

X V.

Operatio cæſarea ſi inſtituenda ſit, oportet eam facere ante aquarum effluxum, vel paulo poſt eum; ſecus longe periculoſior eſt.